

Duplex vita inedita S. Mauritii,  
Abbatis Carnoetensis Ordinis Cisterciensis (1114—1191).

(Edidit R. P. D. Beda Plaine O. S. B.)

Prolegomena.

B. Mauritius primum Abbas Langonii, deinde fundator et primus Abbas Carnoeti effulsit duodecimo saeculo tanquam lux splendens et insignis, tum in vita tum post mortem patrator miraculorum. Quocirca hodie colitur cultu religioso tum in regione Britannica, unde ortum duxit, tum in toto ordine Cisterciensi, cui vivus pertinuit. Verumtamen proh dolor! duplex latina vita eius sive primigenia a familiari conscripta, sive secundaria auctori paulo suppari debita hucusque delitescit in tenebris bibliothecarum. Nam prima fugit omnino omnes eruditos. Eam invenire nequiverunt nec Cistercienses Henriquezium seu recentissime et doctissimus Leopoldus Janaushek, nec Benedictini Britanni Lobineau, Leduc, Morice, nec etiam socii Bollandiani, tam studiosi rerum hagiographicarum indagatores. Imo ipsis monachis Langoniensibus et Carnoetensibus, apud quos tanti pretii esse debuerit haec scriptio, videtur incognita permansisse saltem ab initio saeculi decimi quarti, tacentibus prorsus de ea Guillelmo et Gaudeschio, Abbatibus Carnoetensibus, qui tamen eiusdem Mauritii vitam ipsi de novo litteris exaraverunt ac quibus proinde ad primigeniam recurrere necesse videbatur.

Primus ex duobus istis regebat ineunte saeculo decimo quarto Carnoetense asceterium et vulgo putatur esse auctor secundae vitae S. Mauritii, quae, quamvis sit inedita, non est tamen incognita eruditis. Eam etenim consuluit Lobineau et post eum Morice et socii Bollandiani. Porro iste secundus Mauritii biographus ad nullum alium antiquiorem se remittit et insuper in uno casu, ubi de loco Sancti natali agitur, non concordat cum vita primigenia, quam tamen passim supplet vel perficit.

Gaudeschius vero, a clarissimo Cisterciensium annalista Manrique consultus de gestis et miraculis B. Mauritii, multa inquisivit studiosissime mandavitque docto viro, sed fere quidquid invenit in documentis antiquis et in archivo sui asceterii (sunt eius verba), mutuatum est revera ex sola scriptione dicti Guillelmi, nihil vero ex primigenio scripto. Hinc patet, istud ultimum iam a multis annis prorsus oblivione fuisse tunc sepultum. Melior tamen fortuna, Deo et S. Mauritio faventibus, mihi arrisit. Hanc etenim vitam primigeniam adinveni in apographo XV<sup>i</sup> saeculi, quod olim fuit Claravallense, nunc vero Trecense est, eamque iuris publici facere opportunum duxi, ne amplius incognita permaneat, aut etiam, ne casu aliquo totaliter pereat. Cui tractationi

Guillelmi Abbatis scriptionem<sup>1)</sup> adiungam tanquam supplementum necessarium, ex eo, quod plures hagiographi, inter quos Lobineau et Bollandiani, ad eam remiserint eamque in compendium verterint, ac etiam legendae liturgicae, quae serviunt officio divino in Mauritii festo, ex eadem mutuentur. Sed ut res in meliorem lucem veniant, aliqua praemittam tanquam praevia et prolegomena, scilicet:

1<sup>o</sup>. De auctore primae vitae et eius dotibus; quoad auctorem vero secundae vitae, quae iam dixi, sufficiant.

2<sup>o</sup>. De chronotaxi B. Mauritii.

3<sup>o</sup>. De eiusdem cultu ecclesiastico.

### § 1. De auctore primigeniae Vitae B. Mauritii Carnoetensis Abbatis.

Auctor primae Vitae B. Mauritii suum nomen humiliter sub velo anonymi occultavit. Ceterum ipsum fuisse primo in saeculo familiarem Sancti ac deinde monachum cum eo Carnoetensem ipsique Sancto multum supervixisse, aperte et invicte testantur prologus et varii numeri huius scriptionis.<sup>2)</sup> Sic fert litteraliter prologus versibus exaratus: »Illi (Mauritio) iunctus eram studio per tempora multa — Dum quondam iuvenes reximus ambo scholas.« Insuper ipsum studiose interrogasse testes oculos de gestis et miraculis S. Abbatis plane patet ex numeris 34, 37, 40 etc. Aliunde bona fides eius sincerusque veri amor in dubium revocari non possunt. Hinc eruitur, illum esse omni fide dignum suamque scriptionem maxima auctoritate gaudere debere.

Quoad stylum, claro et simplici utitur iste anonymus, cui etiam non deest ordinarie correctio seu elegantia sermonis, exceptis aliquot neologismis seu sphalmatibus grammaticalibus. Insuper linguam britannicam callebat (nr. 31 et alib.) poetisque profanis optime studuerat, ut patet ex reminiscentiis numerorum 41 et 42.

Apographum, cuius egraphen possideo, provenit, ut iam dixi, ex archivo celeberrimae abbatiae Claravallensis, unius ex quatuor praecipuis totius ordinis Cisterciensis. Integrum est et non mutilum, sed lectu perquam difficile ob mutatum colorem atramenti ac etiam ob aliqua sphalmata amanuensis, quae obiter data occasione indicabo; unde ad lectionem securiorem adire debui peritissimum paleographum D. Rédet (Pictaviensem), nunc defunctum.<sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Huius scriptionis teneo benevolentia D. Courajod (Parisiensis) unam egraphen desumptam ex apographo Parisiensi (Bibliothèque national, latini Nr. 12632 f. 111—113), in quo infeliciter aliquae lacunae inveniuntur.

<sup>2)</sup> Prologus v. 5 et 6, vita Nr. 16. 20. 26, 37, 45 etc.

<sup>3)</sup> Verba, quae inter uncinos sunt inclusa, desunt in apographo.

Istud apographum scribitur more quintidecimi saeculi id est cum multis abbreviationibus seu aliis archaismis, quae cum non sint omnibus nota nec essentialiter pertineant sensui seu orthographiae verborum, ea non retinenda esse iudicavi, ne aliquibus lectoribus taedium generarent. Sufficiat mihi hic praecipuorum horum archaismorum indicem texere:

- 1<sup>o</sup> e aequivalet — ae, oe
- 2<sup>o</sup> Hylariter — hilariter
- 3<sup>o</sup> Dampnum — damnum
- 4<sup>o</sup> cotidie — quotidie
- 5<sup>o</sup> quoquenda — coquenda
- 6<sup>o</sup> Pulcerrimum — Pulcherrimum
- 7<sup>o</sup> nichil — nihil
- 8<sup>o</sup> cathenis — catenis, etc.

## § 2. Chronotaxis vitae S. Mauritii.

Primus biographus B. Mauritii tacuit tum de anno nativitatis eius tum de anno mortis, secundus vero annum et diem mortis assignavit, nempe tertio Kalendas Octobris anni 1191, insuper numerum annorum, quibus Sanctus in terra vixit, computavit, scilicet septuaginta sex annos: unde possumus saltem approximative figure eius chronotaxim eamque determinare modo sequenti:

1<sup>o</sup>. Nascitur B. Mauritius anno 1113 seu 1114 apud viculum Croixanvec dioecesis Venetensis secundum primum biographum (Vita n. 1), in castro vero Lodeacensi dioecesis Briocensis ex secundo (n. 1) et ex traditione locali; quae duplex opinio ut concilietur animadvertendum est quod loca viciniora et aliunde in primo nasci potuit Sanctus, in altero vero educari et studiis vacare.

2<sup>o</sup>. Fit scholasticus seu magister scholarum an. 1135. Multum Mauritium profecisse in studiis etiam profanis eruitur ex eo, quod adhuc adolescens ad amplum munus magistri scholarum promotus fuerit, ac eius biographus, qui antea illum adiuverat in docendo alios, in eisdem studiis optime versatus fuerit; sed, quod dolendum est, utrum Mauritius in schola cathedrali docuerit an solummodo in inferiori, nescitur.

3<sup>o</sup>. Fit monachus et deinde abbas Langonii per triginta annos (1143—1176) ex primo biographo (n. 5) et etiam e secundo (n. 20). Insuper adfuit tanquam testis et arbiter in duplici lite annis 1161 et 1166. (Preuv. de Bret. t. 1. c. 644 et 658.)

4<sup>o</sup>. Condit et regit per quindecim annos abbatiam Carnoensem (1176—1191) ex prima vita (n. 4) et ex secunda (n. 20). Circa hanc foundationem scire debetur, hanc tentatam fuisse circa annum 1170, dum adhuc Mauritius pedum abbatiale Langonii gereret, sed non fuisse re peractam ante annum 1177 aut circiter.

Prima pars huius propositionis patet ex textu secundae vitae (n. 6 et 7), item ex prima charta foundationis, quam hic edimus, quia hucusque imperfecta et ex sola quadam recensione posteriori edita est,<sup>1)</sup> et in qua partem agunt tum dux Britanniae Conanus quartus, cuius mors accidit Februario anni 1171, tum Gaufridus Episcopus Corisopitensis, qui hanc sedem tenuit ab anno 1167 ad annum 1184; secundo vero ex numero quindecim annorum, quibus praefuit Mauritius monasterio novo; nam aliunde certum est, illum diem supremum obiisse tertio Kalendarum Octobrium anni 1191.

5<sup>o</sup>. Moritur tertio Kalendarum Octobris (29. Sept.) anni 1191, quod expresse asserunt tum primus biographus (n. 12) tum secundus biographus (n. 20) ex motivo certo ac etiam chronicon antiquum Kemperlegiense. Unde manifeste errat doctus P. Lobineau, dum Sanctum putat esse mortuum die V<sup>a</sup> Octobris seu tertio Nonas Octobris: qui error procedit ex eo, quod voce Kalendarum abrasa in codice, quo usus est noster praedecessor, ipse pro ea posuit vocem Iduum cum Calendario S. Mevnnii Macloviensis, sed erronee; nam in hoc Calendario festum S. Mauriti ad hunc diem reiciebatur, impediente festo S. Michaelis Archangeli, quod die propria celebraretur.

### § 3. De cultu ecclesiastico B. Mauriti.

B. Mauritius statim post mortem temporalem se semper vivere in coelis signis et virtutibus testatus est; unde sepulcrum eius brevi tempore gloriosum factum est turbaeque fidelium certatim ad illud cucurrerunt, vota voventes et solventes novumque Sanctum innumeris venerationis signis circumplectentes. Quocirca episcopus Corisopitensis, ordinarius loci, cum episcopis vicinis, una cum familia Carnoetensi ac etiam toto ordine Cisterciensi de B. Mauritio in album Sanctorum referendo cogitantes sapientissimum Honorium tertium, qui tunc ovili Christi praeerat, consuluerunt

---

<sup>1)</sup> Eam nempe ediderunt Lobineau, Morice et Bollandiani ex recensione anni 1259, nos vero ex apographo textui originali conformi, quod asservatur inter schedas Baluzianas (volum. 41 f. 26 Biblioth. national. Paris). Lacunae vero huius apographi inter uncino sinclusae supplentur ex impressis: sic se fere: Notum sit (omnibus Ecclesiae filiis, quod ego Conanus Dux Britanniae) et Comes Richemundiae do in eleemosynam pro redemptione animae meae et parentum meorum et successorum) meorum Mauricio Abbati et monachis de Langonio (ad Abbatiam faciendam terram, quam habeo in confinio forestae) Carnoet: Penfeuten videlicet et Kerbanadlen, et concedo ut de foresta accipiant (quae necessaria sunt ad usus suos. Insuper) Constituo ut nullus Abbatiam inquietet aut aliquis substantiam eorum accipiat, donec prius clamati satisfacere in nostrâ curiâ venerint. Similiter in omni terra mea sint liberi ab omni Costuma de emptionibus sive venditionibus. Ut autem haec rata in perpetuum remaneant. . . Cetera ut in impressis et sine anni fixatione.

ipsumque humiliter supplicarunt, ut dictum Mauritium catalogo Sanctorum annumerari iuberet. Honorius vero in re tam gravi provide agere volens mandavit primo per apostolica scripta episcopo Leonensi in Britannia et abbati S. Crucis Kemperlegiensis, ut inquirerent diligenter super vita et miraculis dicti Mauriti.<sup>1)</sup> Postea cum hi iudices remissoriales non examinassent testes singillatim sed turmatim,<sup>2)</sup> seu ut ait ipse Honorius: »transmiserint paginam, in qua multa quaedam et magna miracula continentur facta . . . sed non apparet per paginam dictam, quod testes examinaverint singillatim, et quod eos super his, de quibus testificati fuerunt, et circumstantiis cum ea interrogaverint diligentia, quae solet et debet in testium receptionibus adhiberi,<sup>3)</sup> ista inquisitio sine valore remansit novaque ab eodem Pontifice demandata fuit episcopis Corisopitensi et Trecorensi ac eidem abbati S. Crucis Kemperlegiensis.<sup>4)</sup> De hac vero secunda inquisitione tacent omnes auctores et omnia documenta. Unde utrum felicem exitum habuerit nec ne, ignoratur. Bulla item canonizationis minime apparet. Cultus vero B. Mauriti nihilominus perseveravit, feliciterque propagatus et auctus est approbante expresse ipsa sede Apostolica, cuius auctoritate in album Sanctorum Cisterciensium relatus est dictus Mauritius, eius festo assignata die decima tertia Octobris.<sup>5)</sup> Aliunde iam a XV<sup>o</sup> saeculo et antea idem festum celebrabatur apud monachos S. Mevennii Macloviensis<sup>6)</sup> et in multis aliis locis capellaeque erigebantur in Mauriti honorem. Imo iam ineunte decimo tertio saeculo abbatia Carnoetensis nomine proprio S. Mauriti insignebatur<sup>7)</sup> eumque honorabat festive tanquam patronum proprium.<sup>8)</sup> Hodie vero eiusdem festivitas agitur non solum in ordine Cisterciensi, sed etiam in dioecesibus Briocensi et Corisopitensi. Insuper octo capellae in eius honorem erectae adhuc supersunt et pie frequentantur a fidelibus: nempe Carnoeti et Bannaleci in dioecesi Corisopitensi; Lodeaci, S. Maioli et Pledranae in Briocensi, Plumergatae vero, Inguiniel et S. Guyomardi in Venetensi.

Quoad reliquias S. Mauriti, permanserunt istae in asceterio Carnoetensi, pie cultae a fidelibus usque ad exitum ultimi saeculi. Exurgente vero tunc procella horrendae persecutionis feliciter

<sup>1)</sup> Bulla data Reate secundo nonas decembris, anno sexto (4 Dec. 1222).

<sup>2)</sup> Benedictus XIV — de Beatificat. lib. 2 c. 49 n. 2.

<sup>3)</sup> Bulla eiusdem Honorii data Kalend. Sept. anno X. (1. Sept. 1226.)

<sup>4)</sup> Eadem Bulla.

<sup>5)</sup> V. Martyrolog. proprium in appendice Martyrologii Romani.

<sup>6)</sup> V. Lobineau: Vies des SS. de Bretagne: B. Maurice.

<sup>7)</sup> Preuv. de Bret. t. 1. c. 845 it. secunda bulla Honorii superius citata.

<sup>8)</sup> Acta SS. t. 6. Octobr. de S. Mauritio Nr. 24 et 25.

asservatae fuerunt a piis viris ac deinde pace Ecclesiae reddita repositae fuerunt in antiqua capella Carnoetensi, ubi adhuc fideliter coluntur. Recentissime, id est mense Augusto anni 1880, aliqua portio harum sacrarum reliquiarum translata est cum pompa et magno concursu fidelium ad locum Langonii, ubi primo Sanctus ipse vitam monasticam duxerat. Qui locus nunc factus est orphanorum asylum et schola praeparatoria pro missionibus ad exterarum gentes sub tutela et moderamine pia et doctae congregationis Patrum Sancti Spiritus ac sacratissimi cordis B. Mariae Virginis.<sup>1)</sup> Exultaverunt ossa B. Mauritii, dum primam suam sedem abbatialem Sanctus ipse repeteret ovantesque populos eius triumpho plaudentes ipse cerneret. Exultemus et nos, dum eius gesta eiusque gloriam aequaliter e tenebris eruimus et in meliori luce statuere optamus.<sup>2)</sup>

### Prima Vita S. Mauritii Abbatis a familiari conscripta.

Incipit prologus in vita et Miraculis Beati Mauritii  
Abbatis Ordinis Cisterciensis.

- Spiritus ille sacer, qui totum continet orbem  
De cultore suo det mihi vera loqui.  
Mauritii pia facta probi narrare futuris  
Gaudens fert animus, auxiliante Deo.
- 5 Illi junctus eram studio per tempora multa  
Dum quondam juvenes reximus ambo scholas.  
Exemplar morum fuit hic puerilibus annis  
Gratus erat Christo, nil puerile gerens,  
Quo crescente simul morum crescebat honestas,
- 10 Crescebat virtus et pietatis amor.  
Hic meliora bonis, melioribus optima jungens  
Virtutum sacras accumulabat opes;  
Tandem proposuit monachilem sumere vestem.  
Quamvis jam monachus viveret ipse prius,
- 15 Sicque Dei servus, primo fit pastor in anno;<sup>3)</sup>

1) Gallice: Congregation du S. Esprit.

2) Occasione huius translationis, qui edit hodie vitam S. Mauritii latinam, aliam brevioris gallice scriptam edidit, quae deinde in britannicam versa est.

3) Id est abbas Langonii. Idem auctor docet inferius (Vita nr. 4), solummodo secundo anno conversionis B. Mauritium factum fuisse abbatem, dum secundus biographus (n 4) supponit, hoc evenisse tertio anno inchoato; in qua re non est contrarietas: nam agitur primo de anno professionis, et deinde de duobus annis post ingressum monasterii.

- Tam pia facta Pii grata fuere suis.  
Optimus hic pastor per multos exstitit annos,  
Persolvens laudes et pia vota Deo,  
Istius ecclesiae divino munere cultor
- 20 Totus et in sacra religione pius.  
Praeter id extruxit aliam prope littora ponti,<sup>1)</sup>  
Quae bona plura parit fertiliore loco:  
Nam multos pisces, vinum, frumenta ministrat,  
Ut res deponcit, fratribus iste locus.
- 25 Fratribus hic sanctis communia cuncta manebant,  
Praecipit ut sanctae norma probata domus,<sup>2)</sup>  
Omnibus unus amor, eadem mens, una voluntas,  
Quorum Christus erat gloria, Christus amor.  
Gaudebat dormire parum, vigilare frequenter,
- 30 Pauca loqui,<sup>3)</sup> multum psallere, stare diu.

Explicit prologus in vita et miraculis S. Mauritii Abbatis Ordinis  
Cisterciensis.

Mauritius prudens quondam venerabilis Abbas Sidera divino  
munera celsa colit.

### Incipit Vita Sancti Mauritii.

#### 1. *Nascitur in territorio Venetensi.*

Beatus igitur Mauritius Minoris Britanniae partibus, ex  
villa, quae dicitur Groshanec,<sup>4)</sup> quae est in parrochia de Noal, in  
territorio de Porchoech<sup>5)</sup> in Episcopatu videlicet Venetensi extitit  
oriundus.

#### 2. *Fit scholarum magister.*

Qui liberalibus traditus disciplinis inter coetaneos, divina  
exeunte gratia, floruit ut et diutius scholarum magister fieri  
mereretur.

#### 3. *Monasticam vitam amplectitur Langonii.*

Quum autem infelix est occupatio, quae sui facit hominem  
oblivisci, ad frugem vitae melioris aspirans, Cisterciensis ordinis  
habitum assumpsit apud Abbatiam quamdam praefati Ordinis in  
episcopatu Corisopitensi sitam, quae etiam Languonium nun-  
cupatur.<sup>6)</sup>

1) Nempe Carnoetum, quod est Oceano proximum.

2) Id est, regula S. Benedicti, cap. 33 et alibi.

3) Ergo silentium non erat absolute perpetuum apud Cistercienses  
diebus Mauritii.

4) Nunc Croixanvec.

5) Videlicet Noyal et Porhoet.

6) Gallice *Langonnet*, qui locus nunc ab anno 1802 pertinet ad  
episcopatum Venetensem.

4. *Abbas eligitur.*

Fuit itaque in omni statu mirae simplicitatis et humilitatis admirandae adeo ut post secundum suae conversionis annum Abbas fuerit [electus] praedictae abbatiae: ubi et ab hostibus et a fratribus multa patienter perpessus [est].

5. *Abdicato onere petitur ad fundationem Carnoeti.*

Cum abbas per annos triginta fuisset, duxit tandem a labore suscepti oneris quiescendum, excursisque sacris Marthae discursibus cum Maria secus Domini omni humilitate sedere praelegit nec mora revocatur a claustro vir Domini et in Ecclesia Beatae Mariae de Charnoëch ad petitionem Conani Junioris Comitis<sup>1)</sup> et fratrum de Langonio convenientiam seu potius instantiam assumitur in Abbatem, ubi per quindecim fere annos vita degens sanctissima, omnes sine murmure paupertatis injurias usque ad extremum diem toleravit.

5<sup>bis</sup> *Magnorum patrator virtutum.*

Quum vero in utraque Abbatia vitam duxit virtutibus admirandam, pauca, prout occurrunt memoriae, de multis miraculis, quae per ipsum divina est operata dignatio, dum viveret, scripto duximus commendare ad honorem videlicet Cisterciensis Ordinis, cujus et inter Britones spirat odor suavissimus, quatenus excitetur charitas fidelium, et salutare legentibus proponatur exemplum.

Miracula ante mortem.

6. *De rabie luporum.*

Cum vero in ecclesia Beatae Mariae de Charnoëch Abbatis officio fungeretur, inimicus humani generis, peccatis, ut creditur, incolarum exigentibus, usque ad stragem hominum, luporum rabiem instigavit. Cumque et juxta istam abbatiam et in aliis vicinis locis, multorum funera plangerentur, multi ad virum Dei ad impetrandum tam gravis plagae remedium concurrerunt, et ut lupis omnibus malediceret, non sine lacrymis, utpote aut damnum proprii tangebatur sanguinis, aut dolor angebatur cognati funeris, obsecrabant.

7. *Sancti mansuetudo.*

Quibus vir sanctus dicitur respondisse: non expedit omnibus maledicere lupis, cum eorum timor multis orphanis et aliis pauperibus vitae suggeret alimenta, qui propter hoc conducuntur ad pecora conservanda; verum illis, qui ad hoc maleficium ab

---

<sup>1)</sup> Conanus IV dux seu Comes ab anno 1156 ad ann. 1171. V. Proleg. seu chronotaxim vitae s. Mauriti.

angelis Sathanae specialiter sunt deputati, satis maledicere possumus et in nomine (Christi) volumus maledici.

8. *Maledictio sancti effectum producit.*

O virum divini iudicii non ignarum et pietatis visceribus affluentem, qui et occasionem pauperibus tribuit alimoniae et inter<sup>1)</sup> omnes lupos sententiam non protulit indiscrete. Quia igitur sancti Spiritus gratia nescit tarda molimina, in crastino, postquam vir sanctus lupis maledixerat, juxta fontem quemdam in parochia de Moëlan,<sup>2)</sup> lupus et lupa mortui sunt iuventi, quos praescriptae plagae ministros creditur extitisse, cum in illis partibus a lupis postea nullum auditum fuerit, dum vir Dei viveret, periisse.

9. *Vinum miraculose productum.*

Dum in ordine vicis suae quadam die sanctus vir sacerdos, divina celebraturus, sacris indutus vestibus chorum jam venisset, vinum deesse nunciatur. Sacrista igitur querente et nusquam inveniende, nec enim quotidie vino fratres utebantur, coepit Abbas contristari et flere in tantum, ut monachi eo solo relicto recessissent de choro. Tunc post moram aliquantulam vir sanctus, sicut erat dolore pariter et pudore confusus, ad locum, in quo erat vas vinarium, venit et urceolum vino plenum invenit, sicque fratrum penuriam et defectum, redemit copia lacrymarum.

10. *Aqua in vinum conversa.*

Contigit autem (altera vice), ut cellam versus (viri) Dei transiret navis vinum portans veniens de insula, quae dicitur Grozat,<sup>3)</sup> ad quam monachi venientes vinum caritative petierunt. Quibus magister navis respondit, omnia dolia propter tempestatem in mare fuisse projecta praeter unum, in quo non erat nisi aqua ad coquenda cibaria, et cum dotillum,<sup>4)</sup> ne monachi descenderent, extraherent, exivit vinum optimum et clarissimum, et cum gaudio monachis est oblatum.

11. *De infestatione murium.*

Ad haec quum variis modis Sanctum suum mirificare Deus et magnificare volebat, accidit ut rati multi in Abbatia memorata viderentur, et jam quasi de sua multitudine praesumentes palam ibant, et fratrum passim sotulares et maxime recentius unctos de nocte rodebant. Fratres itaque quantum ad

<sup>1)</sup> Id est contra.

<sup>2)</sup> Locus proximus Carnoëti.

<sup>3)</sup> Nunc gallice: ile de Groye.

<sup>4)</sup> Id est doliolum.

temporalia sola divites paupertate, damno sotularium infestati ratos quotidie devovebant.

12. *Consulitur abbas et a ratis infestatur ipse.*

Tandem querela delata est ad Abbatem, qui, ut erat vultu semper hilari et jocundo, cum risu respondit: »Et quid ad ratos istos possumus? Servet unusquisque suos (sotulares) vel in pedibus habeat.« Habebat autem et abbas ipse tunc forte recentes unctos, quos, sicut fratribus consuluerat, cum dormiret, pedibus suis non detraxit, qui in eadem nocte a ratis usque ad soleas fere sunt corrosi.

13. *Maledicuntur mures.*

Mane facto fratres sua nec in pedibus tuta fuisse calciamenta videntes ad Abbatem pariter accesserunt et tantam ratorum insolentiam dixerunt non esse ulterius in patientia sustinendam. Ad quod Abbas, sicut alia die cum pedes suos respiceret, vidit quod nec suis rati calceamentis vel in pedibus pepercissent. Et tunc ad instantiam fratrum cum visu tantae ratorum maledixit malitiae.

14. *A corvis exterminantur.*

Venerunt igitur in crastino duo magni corvi, quantos (sic) antea fratres non viderent, qui ratos per foramina domuum et inter lotas et scindulas insequentes, necatos omnes, fratribus videntibus, unguibus asportantes, nusquam comparuisse memorantur. Sicque fratrum tristitiam patris patientia deterisit, et malos grassantes molestiam emissa maledictio rabiis [sic]<sup>1)</sup> intercepit.

15. *Demoniacus liberatus.*

Proponamus et aliud non indignum relatu miraculum. Homo quidam de Groe insula<sup>2)</sup> telam perdiderat, qui damnum aegre ferens Locronan-quoath-Kemper corantini<sup>3)</sup> ad divinum quemdam venit ut furti sciret auctorem, unde rediens arreptus est a demonio in via, quesitoque diu remedio et nec invento venit ad beatum virum, et de manu ejus conversionis suscipiens habitum, statim restitutus est pristinae sanitati.

16. *Relabitur propter culpam et de novo convertitur.*

Cumque sub magisterio sancti viri per annum et dimidium sanus vixisset, relicto postea habitu, reversus ad insulam memoratam, ubi uxorem dimiserat, a prima nocte adventus sui a demonio iterum est arreptus, et quamdiu cum

<sup>1)</sup> Id est rapidius.

<sup>2)</sup> Gallice: ile de Groic: vicina est Carnoeti.

<sup>3)</sup> Vox semi-britannica gallice significans: Locronan des Bois près Quimper Corentin.

uxore mansit, non desiit infestari, donec ad Abbatem reversus et misericordiam consecutus, habitum simul et sanitatem recepit. Postmodum vero Abbatis licentia fecit sibi crucis vexillum imponi, sepulcrum domini cupiens visitare, perfectaue peregrinatione non ad Abbatem sed ad uxorem rediens, a demonio est arreptus, a quo gravissime correptus clamabat vicinis audientibus: »vado cum eo, vado cum eo,« videlicet a quo possessus erat, demonio.

Reversus tandem ab Abbatem, quam cito receptus est et sanatus. Nec abbate vivente nec post obitum ejus extra terminos abbatiæ ausus est deinde transitum attentare, nisi pro negotiis ecclesiæ, sicut enim ipse dicebat, invadi statim a demonio formidavit.

17. *Pia mors Mauritii.*

His et aliis a viro Dei in vita sua, Spiritus Sancti cooperante gratia, peractis, cum sui præsensisset dissolutionem corporis imminere, petiit a Domino et feliciter obtinuit, ut in festo sancti Michaelis Archangeli carnis ergastulo solveretur. Perceptis namque universis, ut oportuit, sacramentis, ejusdem festi die universæ viam carnis ingressurus in manus Archangeli spiritum emeritum creditur commendasse.

18. *Miraculis claret post mortem.*

Cum igitur vitam ejus virtutibus fuisse constiterit gloriosam, credendum est et mortem esse nimirum in conspectu Dei pretiosam. Quod ut nulli veniat in dubium, subsecuta miracula certissimum faciunt argumentum.

Miracula post mortem.

19. *Sanatio fratris, qui Sancto servierat.*

Post obitum servi Dei, serviens, qui ei servierat, coepit febricitare, cui dictum est ut super tumbam domini sui jaceret. Paruit et sanatus est.

20. *Primi infantis resurrectio.*

Homo quidam habuerat septem filios, qui omnes absque baptismo ex hac vita exierunt. Uxore vero ejus octavum in utero habente, voverunt eum sancto Mauritio. Qui statim natus mortuus est, cumque ad sepulcrum portaretur, coepit infans vagire sub ascella portantis. Qui baptismum consecutus, vivit adhuc incolumis.

21. *Secundi item infantis resurrectio.*

Mulieris quidam infantulus ab hora tertia usque mane sequentis diei jacuit mortuus, qui beati viri meritis illico suscitatus est. Et ut breviter dicam plures ab eo suscitati sunt.

22. *Claudus sanatur.*

Sabbato Paschalis septimanae in provincia, quae dicitur Kemene-Theboë,<sup>1)</sup> turba multa, quae non potuit flumen transvadare, remansit et totam noctem insomnem duxit. Inter quos erat quidam claudus in grabato, qui tertia parte noctis peracta liberatus, fluvium ingressus, aliosque precedens ad transitum invitavit. In ipso transitu fluminis erant tres mulieres capita involuta coloratis vittis croco habentes, quarum vittas sine damno etiam capillorum ignis veniens de coelo consumpsit.

23. *Alter demoniacus liberatur.*

Quidam arreptus a daemone lacerabat multos, in matrem etiam suam impetum faciens irruere saepe volebat. Cui optimates peregrini Sancti Mauritii suaserunt ut cum eis veniret. Qui statim veniens in ipso itinere liberatus est.

24. *Liberatur adolescens a latronibus captus.*

Mulier quaedam cum filio suo, postquam se cum filio Beato Mauricio commendasset, repatriabat. Cujus filium tres latrones in Bodo-ha<sup>2)</sup> ex adverso venientes tenuerunt, et creditori suo vendiderunt: quorum tertium illico diabolus invasit, et sic innocens ille liberatus est.<sup>3)</sup>

25. *Tertia mortui resurrectio.*

In parochia, quae dicitur Bath,<sup>4)</sup> filius cujusdam pascens pecora in agris subita morte interemptus est. Pater vero ejus audiens famam miraculorum sancti Mauritii, vovit ei filium suum et revixit.

26. *Servus a domini sui vexationibus liberatus.*

Miles quidam de Pantheul<sup>5)</sup> aestu avaritiae inflammatus, quemdam hominem suum pro extorquenda pecunia gravius coepit torquere. Qui acriter angustiatus se et omnia, quae habebat, sancto Mauritio commendavit servanda. Miles vero audiens et indignans dixit: »Neque Mauricius, neque Andreas poterunt te liberare de manu mea.« Confestim apparuit coram illis visibilis Beatus Mauricius in habitu albi monachi dicens: »Quare sic affligis hominem in meum patrocinium confidentem.« Militi contradicenti Beatus Mauritius manum apponens, abstulit ei visum per triduum. Quo facto poenitentia ductus, sancto Dei et homini rustico satisfaciens ad sepulcrum sancti viri cum homine illo

<sup>1)</sup> Gallice le fief de Guemené - Theboy, seu Hennebontis castrum et vicinia loca.

<sup>2)</sup> Id est, Botoha olim parochia, nunc trévia s. Nicolai du Pelem., dioecesis Briocensis.

<sup>3)</sup> Haec relatio videtur manca.

<sup>4)</sup> Bodes? prope Moncontour.

<sup>5)</sup> Locus et nomen incognita.

veniens misit tres solidos in gazophilacium, homo vero duodecim nummos.

27. *Loquela reddita mulieri.*

In parochiâ quae dicitur Ploener,<sup>1)</sup> quae unius leugae spatio distat ab Alzea<sup>2)</sup> et in villa, quae dicitur Kebet-nozu, erat quidam incola, cujus filia marito tradita perdidit loquelam et sic per biennium permansit muta; qui cum filia sua venit ad sepulcrum sancti Mauritii, ejus diligenter postulans beneficium, quo impetrato ad sua remeavit cum gaudio.

28. *Captivus quidam liberatur.*

28. Alanus et Prigent, praesides de Plecidy<sup>3)</sup> ceperunt armigerum quemdam de Ploesulia,<sup>4)</sup> qui armiger feria quinta, in initio Quadragesimae fratrem suum pro se obsidem dedit, qui obses incarceratus et a fratre suo neglectus usque Idus Maii mansit ibi captivus: cui in mente venit sanctus Mauritius et continuo a caneis ligneis, quibus stringebatur, absolutus hora septima evasit securus.

29. *Pauperculae subvenitur.*

29. In episcopatu Trecorensi in parochia nomine Peurett<sup>5)</sup> quaedam mulier viro viduata et pauper, nihil possidebat praeter solam suam in utero habentem porcellulos, ut putabatur. Quae (sus), quia custode carebat, agrum proximi satum fabis devastabat. Quam proximus ille consequens pedem tenuit, ac in tantum fustibus verberavit, quod esum perderet et vitam fere finiret. Quam paupercula aspiciens, et alto pectore suspirans viro Dei commendavit, et de porcellis, quos peperisset, unum ei dare pro devotione spondit. Statimque sus illa parum cibi sumpsit et sanitatem pristinam recuperavit. Quae cum implesset tempus pariendi inventa est septem porcellos peperisse in stabulo, quorum unus corrigiam circa collum ferebat pulcherrimam. Quis haec audiens non satis miretur, quantam sanctitatis gratiam apud Dominum sanctus Dei habebat, qui partem suam in porcello nondum nato demonstrabat?

30. *Quarta pueri resurrectio.*

In eisdem partibus infantulus quinque annorum existens et juxta molendinum quoddam ludens fortuito casu sub rota molendini quassatus et submersus, postea de aqua extractus est

1) Melius Pluneret.

2) Auray.

3) Oppidulum prope Guinguamp in dioecesi Briocensi.

4) Melius Plussulien, in eadem dioecesi.

5) Peder nec? prope Castrum Guengampi in dioecesi nunc Briocensi olim Trecorensi.

mortuus: quem parentes sui Sancto Dei voverunt et revixit incolumis.

31. *Sanatio tumorum.*

Cujusdam hominis collum et humeri tumbant, qui veniens ad sepulcrum viri Dei, de terra sepulcri et aqua benedicta emplastrum faciens, aptavit inflaturae, et crastina die de putredine carnis ejus ebullierunt quadraginta vermes, qui britannica lingua dicuntur gerchelet, et sanatus est ex illa hora.

32. *Sanatur alius morbo lapidis laborans.*

Quidam laborabat morbo lapidis in inguine, qui Beati Mauricii indutus (vestimento) minxit lapidem magnum instar nuclei pessici<sup>1)</sup> per membrum virile.

33. *Equus furtim sublatus domino suo redditur.*

Quidam presbyter, qui ad Sanctum Dei honorandum et orandum et ad visitandum ejus sepulcrum venerat, cum ad sua cum gaudio remearet, somno gravatus, caballum suum juxta se incaute dimisit. Quem videns garcio quidam abduxit, sed statim ulciscente Deo linguam et membra ejus paralysis occupavit et equus presbytero tunc restitutus est.

34. *Monachus quidam Releccensis febriliter laborans.*

Quod autem accidit cuidam monacho de Releccensi coenobio Cisterciensis propagationis derivato, minime tacendum, sed magis duximus relatione dignum. Qui gravissima febrium infatigabiliter curvatus occupatione, de pristinae sanitatis maxime desperabat recuperatione, sed omnipotens Deus, qui ubique servos suos mirificat, et, ut de virtute in virtutem ascendendo proficiant, omnem, quem recipit filium, flagellat, noluit ut vita ejus finiretur tam immatura terminatione, sed maluit, ut sanitati restitueretur Beati Mauricii medicinali visitatione.

35. *A. B. Benedicto visitatus.*

Quadam igitur nocte Cisterciensium more infirmorum, expletis laudibus matutinis, monachi mirae sanctitatis juvenes duo, bonae opinionis, religiosae indolis, ab ineunte aetate studio inhaerentes sanctae conversationis, ut supradicti infirmi debita solverent funeri. tertiam noctem ducebant insomnem, nimia taedii praestolatione fatigati dormiebant ex utraque parte lecti. Ipse autem infirmus nimium intrinsecus aestuans calore dormire non poterat, sed vultus ejus obnubilabatur infirmitatis gravamine. Appa-

<sup>1)</sup> Gallice: noyau de pêche.

ruerunt ei demones innumeri variis vestibus induti, vinum etiam ebulliens in cyphis ligneis ei offerentes, et sursum radios emittentes prae nimietate vigoris nefarii: quos Beatus Benedictus adveniens, nivei coloris potum in vase aereo bajulans effugabat.

36. *Et a B. Mauricio sanatur.*

Beatus autem Mauricius comminans eis acrius ne ad illum reverterentur amplius, lactis coloris poculum bajulans ad saepedicti infirmi lectulum sequutus est Beatum Benedictum, qui collo et brachiis ejus brachia submittentis, et paulisper eum erigentes, potum, quem uterque eorum bajulabat, ipsi aptaverunt ad potandum, dicentes: »Recipe, fili, ad effugandum totius febris torporem pestiferum, recuperandae sanitatis antidotum.«

Hausto igitur salutari poculo et a verticis summitate usque ad pedum extremitatem universa membrorum latibula perscrutantes, et ineffabilem dulcedinis suavitatem praebentes tam intrinsecus quam extrinsecus, in eodem momento calor temperatur, infatigabili ardore fervens antierius, et nullatenus denuo succubuit infirmitati.

37. *Puella demoniaca.*

Quaedam puella nobili progenie oriunda, maligni spiritus infestabatur vexatione furiosa in tantum, ut qualescumque attingere potuisset tam dentium morsibus, quam cruentis unguium scissionibus lacerare nullatenus erubisset. Et sicut ipsa et ipsius vicini attestantur, saepius semetipsam suspendio necare conabatur.

38. *Ad sepulcrum B. Mauricii adducitur.*

Parentes autem, quos angebat tam infesta prolis insania, ad Beati Mauricii sepulcrum ipsam catenis illectam adduxerunt, ubi certissime perplura noverant fieri miracula. Cum autem ibi minime potuissent immorari, tam enim male habentium pluralitate quam vota solventium premebantur infinita multitudine, ad eundem locum, ubi vir Dei temporalem terminaverat vitam,<sup>1)</sup> supradictam puellam portaverunt semivivam.

39. *Eo apparente et petente covet virginitatem et sanatur integre.*

Quae dum ibi fere exanimis et in proximo putaretur obitura, Beatus Mauritius evidentius daemonium emungens (sic) ab ea, ipsam affabatur<sup>2)</sup> et docebat, ut virginitatem Deo voveret cum patris assensu et promissam observatione perpetua solveret. Ipsa vero excitatione subitanea se erigens et saepius manu pectora tundens, submissis genibus expansisque manibus Sanctum

<sup>1)</sup> Hic locus erat intra clausurae limites, sed regularis clausura non erat illo aevo eadem ac nostris diebus post Tridentina decreta.

<sup>2)</sup> Affatabatur in apographo.

Mauritium, quem videbat praesentem, procumbens avidius adorabat, et quod sono verborum non poterat, eum patri digito demonstrabat. Pater autem quid illa ageret nesciebat. Nec mora igitur recedente beato Mauricio, reserato linguae retinaculo taliter affata est patrem suum: »Pater, inquires, remoto totius repulsae obstaculo, concede mihi quaecumque donum a te petere, ut daemonium enim, quo vexabar iamdudum indiscrete, nullatenus possit ulterius mihi nocere.« Et certo rationis ordine tam parentibus quam circumstantibus indicavit quomodo sanata fuerit, et quomodo vir Dei ei consuluerat omnipotenti Deo virginitatem immaculatam observare.

Tunc pater, utpote pater, prae ineffabili gaudio prorumpente lacrymarum torrente, omnipotenti Deo multiplices gratias agendo respondit: »filia mi (sic) inquit, concedo ut cum summa devotione beati Mauricii obedias imperio, et concedens praecipio, ut ab eius nullatenus discedas servitio.«

Quantam a Deo beatus Mauricius promeruit gloriam, nulla facunditatis humanae posset explicare penna, sed in quantum humilitas nostra potest capere, quae crebrius fiunt, nobis innotescunt miracula: ex quorum pluralitate scripto commendamus pauca.

40. *Puer in aquis submersus ad vitam redit.*

Sed et cuiusdam burgensis Kemperle<sup>1)</sup> infantulus in medium Hele<sup>2)</sup> (sic) fluminis alveum lapsus multorum testimonio mersus fuisse memoratur, et cum ibi a tertia hora usque ad sextam attentius quaeretur et quaerentibus eum descendantibus<sup>3)</sup> influvium minime reperiretur, parentes non sine lacrymarum effusioe incessabili, manibus canos evellentes, ipsum beato Mauricio concesserunt in servitium. Nec mora igitur multis videntibus solo fluctuum impetu in ripam eiicitur defunctus. Quem recipientes proposito sepeliendi in crastinum more defuncti imposuerunt feretro. At parentes incessabili expetitione clamabant, dicentes: »Sancte Maurici, redde nobis, redde nobis filium nostrum, vel suscita servum tuum. Preces enim tuae acceptabiles sunt apud Deum.« Quid plura<sup>4)</sup> Phaebi rotis inferiorem occidentis partem intimantibus<sup>4)</sup> supradictus infantulus beati Mauricii meritis fuit rescisatus, et quidquid de ipso descripsimus certa relatione didicimus.

1) Nunc Quimperle dicitur.

2) Elle, fluviolus, qui alluit hoc castrum.

3) Descendentibus legitur in apographo.

4) Id est attingentibus.

41. *Quidam frater aegrotans sanatur.*

In monasterio viri Dei, dum adhuc viveret ipse corporaliter, quidam conversus membrorum et ventris tumore incessabili inquietabatur diutius. Cui vir beatus permiserat<sup>1)</sup> consultis medicis medicamentum adhibere. Divino autem nutu interim ad consortium perducitur Angelorum finito praesentis vitae termino. Tunc supradictus conversus ad beati Patris sepulcrum residens, lacrymabili voce clamabat dicens: »Sancte pater Maurici, quia mihi non licuit te vivente sanitatem recuperare, etiam nunc defunctus promissa solve.« Quod ipse promeruit obtinere. Exinde enim tumor eius coepit decrescere et vobis edisseram apertius, in eodem loco remedium est consecutus. Nam vir beatus, quod promiserat vivus facilius explevit defunctus, cuius invocatione non tantum infirmantibus, sed etiam per fluctivagos maris insultus probatur prodesse certissime naufragantibus.

42. *Tempestati maris imperat et navem conservat.*

Cuiusdam enim militis, qui Willermus de Saint Arnouff nuncupatur, et de Venetensi episcopatu oriundus fuisse memoratur, navis referta vino, impulsu ventorum rapiente, eminens rupis cacumen sopita navigantium providentia est coacta ascendere, de cuius (navis) nautae maxime desperantes integritatem ipsam desperantes, viam evadendicoeperunt capere. Nam a mane usque ad sextam fere diei horam ratis ibi manebat inconvulsa et nullius arte nisi frustratim inde credebatur eruenda. Tandem supradictus miles, cuius erat navis, ad cor revertens, graviter suspirando vctum vovens, ipsam beato Mauricio commendavit. Nec mora igitur: Phoebi rotis terentibus centrum etheris,<sup>2)</sup> primum remoto totius impedimenti obstaculo supradicta navis in mare descendit nullius laesionis sustinens incommodum: quam nautae recuperantes omnipotentem Deum benedicebant, qui sanctum suum in pluribus mirificat Mauritium.

43. *Curatur paralyticus horrende contractus.*

Et si caetera, quod absit, tacuerimus miracula, de sola etiam paralytici restauratione debet aedificari fides catholica. Qui caduco saepius vexabatur morbo, et nullo membrorum nisi tantummodo linguae fungens officio, porcino more, adaptato ore, universa escarum fercula sumebat alveo. Nemo enim eum vestire poterat, prae faetore nimio. Nam utrumque genus digerendi<sup>3)</sup> ipse saepe effundebat, ubi sedebat in grabato. Per tres tamen hebdomadas ad beati viri sepulcrum perseverans infatigabiles Deo

1) Scribit amanuensis erronee: promiserat.

2) heteris fert apographum.

3) Id est egerendi aquam et excrementa.

et sancto eius Mauricio preces effundens, liquidius meruit exaudiri et tam pedum gressu quam manuum utens actu libero, ab utraque infirmitate sanatus est, videntium asserente multiplici testimonio.

44. *Vinum in dolio miraculose servatum.*

Quidam nauta oriundus de Hispania dolium habebat pretiosum vini modios capiens plurimos, cuius circulo casu accidente rupto, vinum nullius arte prohibitum undique emanavit more torrentium. Quibusdam autem de Kemperle, qui forte aderant ei consulentibus, nauta praedictus non sine precibus pro tanti incommodi cessatione beato Mauritio votum vovit, et statim vinum stetit, et nullatenus amplius distillavit.

45. *Claudus gibbosus curatur.*

In territorio de Talmont<sup>1)</sup> quidam habebatur claudus et gibbus (sic), incedens curvus, duobus baculis in ascellis suffultus, qui a quibusdam praemonitus et viaticum praebentibus, et ante etiam ipsius inopiae ministrantibus caritative ad beati viri monasterium et sepulcrum coepit proficisci. Et cum iter trium dierum fecisset et incedens indesinenter clamasset, inquires: »Sancte Maurici, qui etiam mortuos suscitasti, domine, miserere mei, per tui enim invocationem plures caeci visum, claudi gressum, infirmi adepti sunt sanitatem«, universas membrorum compages repente sensit relaxari, et quasi nimia infirmitate gravari. Sed in crastino evigilans a somno omnipotentis Dei gratia alienus est a gibbo, et exiliens a lectulo, erecta dorsi curvitate, et nervorum dolore temperato, crureque naturaliter distorto gressu incedebat recto. Attamen non deficiens ab itinere recto ad beati viri sepulcrum pervenit, Deo et sancto ejus Mauricio multiplices multifarieque gratias agendo. Quem ibidem vidimus per dies plurimos monachorum servientem imperio. Quod ipsi vidimus et relegata<sup>2)</sup> dubietate, audivimus, scripto non commendare minime decrevimus.<sup>3)</sup>

46. *Duae mutae loquelam recuperant.*

Mulieres igitur duae, maritis etiam legaliter conjugatae de Guédél insula,<sup>4)</sup> propriis linguarum non fungentes usibus ad sancti viri sepulcrum hora sabbati quasi sexta pervenerunt nobis praesentibus: quarum alteram<sup>5)</sup> deflexo capite ad lapidem scrobi supersidentem. Cui beatus Mauricius in somnis apparuit et obstructionis repagula removens excitavit. Quae statim evigilans

1) Talmont viculus in inferiori Pictavia jacet.

2) id est, rejecta.

3) Hic duae negationes affirmationem pariunt.

4) Gallice: Belle-Ile-au-Mer.

5) melius diceretur: altera . . . supersidens (erat).

liberam loquendi facultatem recepit. Nec tardius et alterius lingua sequenti nocte fuit regenerata

47. *Surdi sanatio.*

Quaedam burgensis de Kemperle, quae paupertati Patris beati, dum ipse corporaliter viveret, caritative necessaria accommodabat (ipsum enim totius sanctitatis copiosa plenitudine refertum fuisse viderat) ipsius cingulum obtinere meruit. Quod ipsa surdi cujusdam capiti semel circumdedit. Qui statim dum ad beati viri sepulcrum proficisceretur, etiam in via aurium penetralia esse patefacta cognovit, et ad monasterium perveniens beato Mauricio multimodas gratias agens, universis, qui ibi aderant, quod sibi acciderat, intimavit.

Explicit vita sancti Mauriti Abbatis Ordinis Cisterciensis et quaedam miracula ejusdem.

(Concludetur.)

## Das Benedictinerinnenstift Gandersheim und Hrotsuitha, die »Zierde des Benedictinerordens.«

(Von Otto Grashof, Priester der Diöcese Hildesheim.)

(Fortsetzung von Heft 1, Jahg. VI, Seite 87—109.)

3. Das dritte Buch der Werke Hrotsuitha's enthält, abgesehen von zwei kleineren, in der neueren Zeit zum ersten Male gedruckten Gedichten, auf die wir noch zurückkommen werden, die beiden grösseren historischen Arbeiten: carmen de gestis Odonis I imperatoris und carmen de primordiis coenobii Gandersheimensis. Bevor wir jedoch auf diese Gedichte selbst des Näheren eingehen, haben wir einige nicht unwichtige Vorfagen zu erledigen.

Zunächst ist es von Interesse, festzustellen, um welche Zeit diese historischen Gedichte entstanden sind. Eine kurze, knappe Uebersicht über die Abfassungszeit der verschiedenen Dichtungen Hrotsuitha's wird hier am Platze sein.

Die ersten Compositionen der Gandersheimer Nonne waren bekanntlich ihre Legenden. Die fünf ersten derselben hat Hrotsuitha offenbar bald nach dem Jahre 950 und jedenfalls um die Zeit des Amtsantrittes Gerberga's II als Aebtissin von Gandersheim<sup>1)</sup> verfasst. Denn in der Widmung<sup>2)</sup> ihrer Erstlingslegenden an Gerberga nennt Hrotsuitha jene zwar mit Dank ihre Lehrerin, aber sie redet Gerberga auch bereits an als